

Tenores autem memoratarum litterarum sunt, qui sequuntur :

**Ac primum quæ pro Rituali Romano statuit Paulus Papa V. Bulla incipiente, Apostolicæ Sedi, brevitatis gratia hic omittuntur. Sequitur vero Clementis VIII Bulla pro Cæremoniali Episcoporum :**

**CLEMENS PAPA VIII.**

**Ad perpetuam rei memoriam.**

Cum novissime Pontificale romanum, antea mendosum et corruptum, a piis et eruditis viris emendari et restitui, et demum ad Episcoporum, et aliorum ecclesiarum Prælatorum communem usum, et commoditatem divulgari, et in universali Ecclesia ab omnibus observari mandaverimus, operæ pretium visum fuit, si Cæremoniale Episcoporum omnibus ecclesiis, præcipue autem metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis perutile, ac necessarium, in quo ritus, et cæremoniæ celebrandi missas, vespers, et alia divina officia, ac in aliis ecclesiæ functionibus, et actibus, ab eisdem Episcopis, ac aliis Prælatibus inferioribus in eisdem observandæ, ac modus etiam præcedendi tam inter personas ipsas Ecclesiasticas, quam etiam inter eas et laicos, similiter servandus continentur, quodque pridem multis mendis respersum fuerat, similiter reformari, et restitui curaremus.

Eapropter id ipsum Cæremoniale Episcoporum a nonnullis piis, ac eruditis, in hisque sacris ritibus, et cæremoniis apprime versatis viris examinari, corrigi, et in optimam, ipsique Pontificali reformato maxime congruentem formam redigi mandavimus. Quod opus cum ea, qua decuit, fide et diligentia jam absolutum fuisse accepimus.

Porro reliquum est, ut hujus operis labor eum, ad quem directus est, finem consequatur. Idcirco Cæremoniale Episcoporum hujusmodi jussu nostro emendatum et reformatum, motu proprio et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, perpetuo

approbantes, illudque in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat, et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse præcipimus et mandamus; ac Cæremoniale hujusmodi, sic emendatum et reformatum, nullo unquam tempore, in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas prædictas, quæ sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcumque in ipso Cæremoniali contenta facere aut exequi debent, ad ea peragenda et præstanda juxta hujus Cæremonialis formam et præscriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse, perpetuo statuimus, et ordinamus.

Per præsentem autem antiqua Cæremonialia in his, quæ prædicto Cæremoniali reformato sunt conformia, minime aboleri, aut abrogata censi volumus, sed illorum etiam usum, salva reformatione dicta, permittimus.

Non obstantibus præmissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus, necnon quarumvis ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, et pari motu et auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentem, lapsis duobus mensibus, qui vero intra montes octo, et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim integre excursis, vel alias ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras cæremonias et ritus in eodem Cæremoniali præscriptos, juxta illius modum et normam, in quibuscumque actibus, exercere et observare teneantur.

Ipsarum autem litterarum exempla, manu notarii publici, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, aut illius Curie obsignatæ, vel in ipsis voluminibus absque prædicto, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressa, eam ubique locorum

et gentium fidem faciant, quam præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xiv. Julii MDC Pontificatus nostri anno nono.

M. Vestrius Barbianus.

Deinde INNOCENTIUS PAPA X,

Ad perpetuam rei memoriam

Etsi alias fel. rec. Clemens Papa VIII prædecessor noster, Cæremoniale Episcoporum omnibus Ecclesiis, præcipue autem metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis perutile ac necessarium, in quo ritus et cæremoniæ celebrandi divina officia, ac in aliis Ecclesiæ functionibus et actionibus ab iisdem Episcopis, aliisque Prælatibus inferioribus observandæ, ac modus etiam præcedendi, tam inter personas ipsas ecclesiasticas, quam etiam inter eas et laicos similiter servandus continentur, multis antea mendis refertum, corrigi et restitui curaverit; attamen successu temporis compertum est plurimos errores, et mendas in idem Cæremoniale, sive diuturnitatis injuria, sive Typographorum incuria, aliave de causa irrepisse, illudque proinde iterata emendatione indigere.

Eapropter Nos pro pastoralis nostræ sollicitudine id ipsum Cæremoniale Episcoporum a nonnullis Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque piis et eruditis, sacrorumque rituum et cæremoniarum apprime peritis viris, corrigi et emendari mandavimus. Quod cum ab illis accuratissime præstitum fuisse acceperimus, idcirco ne tam utilis Ecclesiæ Catholicæ hac in re Cardinalium et aliorum prædictorum labor optato frustretur effectu, motu proprio ac ex certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Cæremoniale Episcoporum hujusmodi jussu nostro, ut præmittitur, recognitum et emendatum, perpetuo con-

firmamus et approbamus, illudque in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat, et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse præcipimus et mandamus, ac Cæremoniale hujusmodi, sic emendatum, nullo unquam tempore, in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas præfatas, quæ Sacerdotalia munera exercere aut alia quæcumque in ipso Cæremoniali contenta facere aut exequi debent, ad ea peragenda et præstanda juxta hujus Cæremonialis formam et præscriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse perpetuo statuimus et ordinamus.

Per præsentem autem antiqua Cæremonialia in his quæ præfato Cæremoniali emendato sunt conformia, minime aboleri aut abrogata censeri volumus, sed illorum etiam usum, salva emendatione prædicta, permittimus.

Non obstantibus præmissis ac apostolicis, etiam in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis, editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis ecclesiis et personis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, ad præmissorum effectum specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, et pari motu et auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentem, lapsis duobus, qui vero intra montes octo, et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim mensibus integre excursis, vel alias ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras cæremonias et ritus in eodem Cæremoniali præscriptos, juxta illius modum et normam, in quibuscumque actibus, exercere et observare teneantur.

Quodque earundem præsentium litterarum exemplis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, aut illius Curia, munitis, vel in ipsis voluminibus absque præfato, vel alio quopiam adminiculo, Romæ impressis, eadem ubique locorum et gentium fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die xxx Julii MDCL, Pontificatus nostri anno sexto.

M. A. Maraldus.

Demum **BENEDICTUS PAPA XIII,**

**Ad perpetuam rei memoriam.**

Licet alias felic. rec. Clemens VIII, ac subinde Innocentius X, Romani Pontifices prædecessores nostri, Cæremoniale Episcoporum edendum, atque a mendis expurgandum curaverint, processu tamen temporis compertum est, novos errores, non minus Typographorum imperitia quam aliorum culpa et negligentia, in illud irrepsisse, ac proinde Nos, qui in minoribus constituti per annos quinquaginta episcopi, ac metropolitæ munere et dignitate perfuncti sumus, cum nihil antiquius habuerimus, quam ut sacros ritus et cæremonias secundum antiquam ac laudabilem Romanæ Ecclesiæ disciplinam adamussim perageremus, diuturno eorum usu ac studio animadvertimus, utile ac necessarium maxime futurum, si rursus idem Cæremoniale novis curis recognitum ederetur, obscura quædam in eo et ambigua illustrarentur, corrupta alia et depravata emendarentur, nonnulla præterea inter se pugnantia et contraria conciliarentur, aliaque demum hactenus prætermissa suis locis opportune adderentur.

Ubi primum igitur ad summi Apostolatus fastigium, licet immeriti et obluctantes, eveci fuimus, in hanc etiam sollicitudinem cogitationes nostras direximus, Nosque ipsi hoc opus aggressi,

illud, nonnullis etiam adhibitis piis ac eruditis viris, sacrorumque rituum apprime peritis, qui operam suam in ipso Cæremoniali emendando ac restituendo Nobis contulerunt, benedicente Domino, perfecimus.

Itaque, ne tam utilis Ecclesiæ Catholicæ hac in re labor suo frustretur effectu, motu proprio, ac ex certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Cæremoniale Episcoporum hujusmodi, a Nobis, ut præmittitur, recognitum et emendatum, perpetuo confirmamus et approbamus, illudque in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis ad quas spectat, et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus et mandamus, ac Cæremoniale hujusmodi sic emendatum, nullo unquam tempore, in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse; ac quascumque personas præfatas, quæ pontificalia, et sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcumque in ipso Cæremoniali contenta, facere aut exequi debent, ad ea peragenda et præstanda, juxta hujus Cæremonialis formam et præscriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quæ hoc Cæremoniali continentur, servatis, satisfacere posse, perpetuo statuimus et ordinamus.

Per præsentem autem antiqua Cæremonialia in his, quæ præfato Cæremoniali emendato sunt conformia, minime aboleri aut abrogata censeari volumus; sed illorum etiam usum, salva emendatione prædicta, permittimus.

Non obstantibus præmissis ac apostolicis, et in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis, editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, quibusvis ecclesiis et personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis. Quibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, ad præmissorum effectum spe-

cialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, et pari motu et auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentis, lapsis duobus, qui vero citra montes octo, et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim mensibus integre excursis, vel alias ubi venalium hujus Cæremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras cæremonias et ritus in eodem Cæremoniali præscriptos, juxta illius modum et normam, in quibuscumque actibus, exercere et observare teneantur.

Quodque earundem præsentium litterarum exemplis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, aut illius Curia, munitis, vel in ipsis voluminibus, absque præfato vel alio quopiam adminiculo, Romæ impressis, eadem ubique locorum et gentium fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die vii Martii MDCCXXVII, Pontificatus nostri anno tertio.

**Pro E. Cardinale Oliverio,  
Carolus Archiep. Emissenus.**

**Quæ pro Ponticali Romano statuerunt Clemens Papa VIII, Bulla incip. Ex quo in Ecclesia, et Urbanus Papa VIII, Bulla incip. Quamvis alias, hic iterum brevitatis gratia omittuntur.**

**Prosequuntur Litteræ Apostolicæ BENEDICTI PAPÆ XIV.**

Quoniam autem Nos pro paterna charitate vehementer cupientes, ut Christi fidelibus in articulo mortis constitutis, quoad fieri posset, universis Apostolica Benedictio nostro nomine impertiretur, et plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia elargiretur, per alias nostras sub plumbo litteras anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVII, nonis Aprilis, Pontificatus nostri anno septimo

data omnibus ecclesiarum antistitibus hujusmodi facultatem, sub certis modo et forma expressam, tribuimus, atque insimul formulam Benedictionis et Indulgentiæ hujusmodi dandæ præscripsimus; quemadmodum encyclicam etiam nostram epistolam die xix mensis Martii anno MDCCXLVIII, ad dilectos filios Generales Ordinum Regularium, quibus a Sancta Sede indulta vel indulgenda erat facultas pontificiam benedictionem effundendi super populum statis diebus, scripseramus super modo et ritu, quibus prædicta benedictio danda est.

Præterea ad nonnullas lites et controversias exortas e medio tollendas, itidem per alias nostras in simili forma Brevis litteras confirmaveramus leges et instituta cæremonialia jussu nostro edita pro provinciarum Præsibus, Gubernatoribus, Prælatibus, et Apostolicis Vice-Legatis, quæ sunt tenoris sequentis:

**BENEDICTUS PAPA XIV.**

**Ad perpetuam rei memoriam.**

Quod Apostolus universis Christi fidelibus consulebat, ut, inter cætera officia sibi pariter exhibenda, honore etiam sese invicem prævenirent, et honorem tamquam debitum, cui deferendus esset honor, redderent, id maxime ab antistitibus et præsulibus vicissim inter sese in mutua tam civilium, quam sacrorum officiorum exhibitione præstandum esse intelligentes Romani Pontifices, prædecessores nostri, per Cæremoniale Episcoporum juxta uniuscujusque ordinis, gradus, et dignitatis conditionem, Leges et Statuta, quibus integerrime servatis, et unicuique ratio haberetur, et nemini inferretur præjudicium, sapientissime præscripserunt.

Quoniam autem quosdam abusos in honoribus sibi invicem deferendis inter Venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos ex una, et inter dilectos filios provinciarum status nostri ecclesiastici Præsides, Gubernatores, Prælatos, et Apostolicos Vice-Legatos ex altera parte, quocumque pacto, ac tempore etiam immemo-

rabili, irrepsisse jamdudum, etiam dum in minoribus essemus, noveramus, ut eosdem penitus adimeremus, ne ullus unquam in posterum querelis, ac dissidiis inter utrosque forsan oborientibus pateat aditus, nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Congregationibus Sacrorum Rituum et Cæremoniarum præpositi sunt, negotium dedimus, ut Leges et Instituta cæremonialia pro corrigendis et auferendis iisdem abusibus opportuna et salutaria conderent.

Hujusmodi vero Leges et Instituta cæremonialia, ab iisdem Cardinalibus præscripta et a Nobis inspecta, cum probassemus, quo firmiter subsistant et serventur exactius, tenore præsentium, apostolica auctoritate approbamus et confirmamus, atque ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, perpetuo observanda esse statuimus, præcipimus et mandamus.

Decernentes easdem præsentis litteras semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque in contrarium præmissorum quomodolibet facientibus.

Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die xv Maii MDCCXLI, Pontificatus nostri anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

DECRETUM.

Cum Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS Papa XIV, ex Cardinalibus, qui Congregationibus Sacrorum Rituum et Cæremoniali præpositi sunt, quatuor selegisset Eminentissimos, nempe Rufum Sacri Collegii Decanum, Lercarium, Accorambonum et de Gentilibus, ut ab eisdem uniforme statueretur Cæremoniale a provinciarum Præsibus, Gubernatoribus, Prælatis, et Vice-Legatis in suis respective provinciis, vel civitatibus, Sanctitate Sua prius approbante, posthac perpetuo et inconcusse observandum, ipsi Eminentissimi Patres, pluribus idcirco præhabitis sessionibus, hæc, quæ sequuntur, mihi peculiaris hujus Congregationis Secretario, Sanctitati Suæ referenda demandarunt.

Factaque per me de infrascriptis omnibus Sanctitati Suæ relatione, Sanctissimus non tantum ea approbavit, verum etiam pro omnimoda illorum observantia publicari mandavit.

Hac die 18 Aprilis 1741.

Loco † Sigilli. T. Card. Rufus Episc. Ostien., et Veliternensis.  
Ignatius Reali, Secretarius.

Insuper formulam itidem Benedictionis, et Traditionis Pallii, ac jurisjurandi a procuratoribus absentium Archiepiscoporum, antequam a dilecto filio nostro S. R. E. Cardinali Diacono idem pallium accipiant, ipsorum Archiepiscoporum nomine præstandi per nostram Constitutionem die xii mensis Augusti anno MDCCXLVIII, sub plumbo expeditam statuimus.

Porro accedit ad hæc methodus quoque scholæ sacrorum rituum in Gregoriano Collegio Romano hujus almæ Urbis nostræ, Nobis approbantibus, institutæ, non sine uberi per hoc tempus in sacris ritibus addiscendis profectu, aliarumque ad instar ejusdem scholæ alibi jam erectarum vel erigendarum, quæ methodus multis in libris, et præcipue in decimo nostrorum operum volumine Romanæ editionis reperitur inserta, plurimumque a Nobis commendatur, eamque plurimum studiosis sacrorum rituum prodesse compertum est.

Eapropter, cum Nobis a quamplurimis humiliter supplicatum fuerit, ut typis iterum reimprimendi Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum et Pontificale Romanum hujusmodi, et non solum in iisdem antedicta omnia a Nobis statuta addendi, verum etiam nostro jussu in lucem emittendi licentiam de apostolica benignitate et auctoritate concedere, et indulgere dignaremur:

Nos itaque probe scientes, et experientia edocti quantum prosit, ut in uno volumine simul collecta ad manus sint ea omnia, quæ sparsim ac divisim impressa reperiuntur, et considerantes, quantum hujusmodi collectio utilitatem memoratæ scholæ liturgicæ in Collegio Societatis Jesu ejusdem almæ Urbis nostræ a Nobis institutæ, aliisque ubique locorum erectis afferre possit, apostolica auctoritate tenore præsentium communibus tot insignium virorum, ac præsulum votis et supplicationibus benigne annuentes, facultatem tribuimus et impertimur, ut Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum ac Pontificale Romanum sub iisdem modo et forma, quibus de præsentibus impressa reperiuntur et usui sunt, una insimul cum omnibus et singulis, quæ, ut superius relatam est, a Nobis præscripta, ordinata et publici etiam juris facta sunt, necnon cum sæpe dicta methodo scholæ sacrorum rituum in operibus nostris jam editis inserta jussu nostro, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, typis reimprimantur, et in lucem emittantur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die xxv Martii anno MDCCLII, Pontificatus nostri anno duodecimo.

*Cajotanus Amatus.*

# CÆREMONIALIS

## EPISCOPORUM

### LIBER PRIMUS.

#### CAPUT PRIMUM.

**Corona nuper electi ad cathedram Metropolitanam, Episcopalem, seu majorem. Vestium forma et color. Quid agere debeant electi, in Curia præsentibus. Quid absentes. Vestes eorum, qui ex ordinibus regularibus, aut militaribus assumuntur.**

1. Cum primum aliquis certior factus fuerit, se alicui Ecclesiæ Metropolitanæ, Cathedrali, vel majori a Summo Pontifice in Consistorio præfectum, sive ille in Curia Romana degat, sive ab ea absens sit, statim curabit, sibi amplam coronam in capite decenter formari. Tunc, et non prius, super vestem inferiorem talarem, cum extra domum exhibet, induet aliam vestem brevioram apertam, ita ut per scissuras brachia extrahi possint, quod genus vestis mantelletum vocant. Vestes autem hujusmodi erunt, vel ex lana, vel ex camelotto coloris violacei, nullo autem modo sericæ.